DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PELTA PELTASOHN

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

FALK, MED. ET CHIR. DR.
PAULI, MED. ET CHIR. DR.
LOEWENTHAL, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

AVUNCULO

OPTIMO ET DILECTISSIMO

SUMME DE SE MERITO

JACOBO URBACH

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

IN SUMMAE AMICITIAE TESTIMONIUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quamvis doctrina medica in dies incrementa capit, et principia multorum morborum veteribus medicis nondum cognita, nobis omnibus tam clara atque aperta sunt, ut nostra aetas jure aurea medicae doctrinae nominari possit, tamen multi morborum tam densis velis quasi absconduntur, ut vix plura quam veteres medici de iis noverimus. E quibus morbis praecipue diabeten mellitum nomino. Etsi veterrimi medici, et omnes usque ad nostrum tempus celeberrimi in explorando hoc morbo desudarunt, tamen causa proxima nondum ita est revelata, ut ab omnibus agnoscatur. Sed difficultas causam hujus morbi

veram cognoscendi praesertim in eo cernitur, quod morbi casus rarissime medicis occurrunt. Quodsi ego igitur, doctrinae medicae tiro, de hoc morbo scribere audeo, non nova proferre gestio, sed observationibus in nosocomio Caritatis de diabete mellito collectis fretus, hoc opusculum Lectori Benevolo trado, rogans, ut indulgenter de eo udicium ferat.

§. 1.
HISTORIA MORBI.

Morbus ad eos pertinet, qui jam veterrimis medicis innotuerant.

Celsus (1) diabeten nominat morbum, in quo permagna lotii copia secernatur, simul cum corporis tabe conjunctum.

Galenus (2) vero jam de loco, quem teneat hic morbus, verba facit: Diabeten enim, ait, esse morbum, qui efficiat, ut potus, sitis causa insatiabilis sumtus, e systemate uropoëtico, loco urinae, immutatus emittatur. Neque minus huic sententiae alii medici, ut Aëtius, Tralles e. a. suffragantur.

Sed, quos dixi, auctores nondum indolem lotii aegrotorum hoc morbo laborantium perscrutati erant, quare ambiguum est, utrum morbus ab illis viris descriptus diabetes verus seu mellitus fuerit, an alia species diabetae, quum symptomata

---

(1) De medicina Lib. IV. Cap. 20.
(2) De locis affect. Lib. VI. Cap. III.

eadem sint, et modo urina dulci, tanquam melle imbuta, diabetes mellitus ab aliis morbis speciebusque diabetae ipsius distingui possit.

Primus urinam diabeticorum chemice examinavit Thom. Willis (1), cujus verba haec sunt: „Quod autem plerique auctores potum aut parum „aut nihil immutatum reddi asserunt, a vero lon„gissime distat: quoniam urina in omnibus „(quos unquam me novisse contigit, et credo, ita „in universis habere) tum a potu ingesto, tum „a quovis humano in corpore nostro gi„gni solito plurimum differens, quasi „melle aut saccharo imbuta, mire dul„cescebat."

Ex quo tempore in naturam, colorem et consistentiam urinae medici accuratius inquisiverunt.

Jam Burserius (2) symptomata atque lotium mictum fusius descripsit, haec habens: „Dia„betes est ea profusio urinae, quae vires pro„sternit, corpus tabefacit, et siti inextinguibili „extorret. — Itaque urina in ejusmodi morbo vel „copiosius emittitur, quam assumti potus aut seri „in sanguine existentis quantitas postularet, et „sine dolore mingitur, vel saporem, odorem co„loremque potus assumti parum aut nihil muta„tum refert, vel chylo ipsi simillima est. Hinc „in aliis aquea et cruda, in aliis pallida, turbida „aut crassa, quandoque melle quasi tincta, et si„mul dulcis, quandoque alba et inodora, inter„dum etiam violam redolens emittitur."

---

(1) Pharmaceutica rational. sect. IV. c. III. p. 101.
(2) Instit. medic.-pract. Volum. IV. Cap. XVI. p. 424.

Ex hac descriptione facile intelligimus, illum auctorem diabeten mellitum ab insipido discrevisse.

J. P. Frank (1) hanc edit definitionem: „est autem diabetes vera corporis per urinam colliquatio, aut lotii profluvium, vel potum longe superans, vel principii saccharini admixtione excedens, cum siti inexplebili, cute arida et squamosa et macie extrema, sine febri in longum plerumque incedens.“

Haase (2) quoque adnotat, in diabete pathognomonicum esse signum secretionem atque excretionem urinae permagnam, qua fiat, ut omnes potus forma sacchari vel mellis excernantur, indeque macies totius corporis oriatur.

§. 2.

His definitionibus omnes medici nostri aevi plus minusve assentiuntur, unum vel alterum symptoma adjungentes.

Quae ratio urinae diabeticae peculiaris plures et medicos et chemicos commovit, ut principia ejus accuratius perquirerent, quaenam adsint et quibus urina careat. Qua de causa operae pretium esse videtur, varias analyses a multis chemicis exhibitas breviter perlustrare.

---

(1) Epitom. citat. lib. V. pars 1. §. 478. p. 39.

(2) Ueber die Erkenntnifs und Cur der chronisch. Krkh. Bd. III. Gattung IV. cap. 1. §. 240.

§. 3.

ANALYSIS CHEMICA.

Ab eo tempore, quo, ut supra memoravi, Thom. Willis in lotio diabeticorum materiam qnandam saccharo similem invenit, multi chemici, ad analysin hujus urinae incumbentes, omnes fere ut Darwin, Dobson, Marabelli (1), P. Frank (2), alii, inter se consenserunt, urinam igni admotam vaporem suavem exhalare, et residuum crassum quoddam fusco colore, odore dulci relinquere. Quo residuo in aqua et spiritu vino tepido facile soluto, materiam saccharinam singulatim crystallisatam oriri, colore, odore saporeque mellis haud dissimilem, eamque aliquantum in acidam, magis vero in vinosam fermentationem abire. Secundum analysin Proustii (3) saccharum e lotio diabetico paratum habet: Carb. 39,99, Hydrogenii 6,66, Oxygenii 53,33, et minimam partem azoti. Quae substantia porro igni exposita odorem saccharo combusto similem spargens, spiritum alcoholisatum flavum reddit, dum extractum urinae sanae eundem nigrum tingit, et igni expositum odorem urinae normalis, id est ammoniacalem, exhalat.

Copia residui non exigua est. Nam si triginta sex unciae lotii normalis residuum unciae unius, vel unius et dimidiae praebent, residuum

---

(1) Memoria sui principe e sulle differenze dell' orina in duo specie di Diabete confrontate colla naturale.

(2) in alio loco p. 44.

(3) In Hünefeldt's phys. Chemie. pag. 163.

urinae diabeticae uncias duas ad tres adaequat. Imo Haase (1) et Schoenlein (2) majorem quantitatem se obtinuisse affirmant.

Aliis substantiis fixis et attributis hoc lotium destituitur, ut Ammonio, salibus phosphoricis, sapore salso, neque minus principio fibrino et extractivo resinoso. Mercurius nitrosus in eo sedimentum album, in urina normali rosaceum efficit.

§. 4.

Diabeten mellitum ad morbos rariores referre debemus. Petrus Frank ipse narrat, se in Germania per viginti annos exempla solum tria vidisse, sed plura in Italia, ita ut per annos octo septies hunc morbum observaret.

Moses Maimonides etiam, hunc morbum, ait, se in oriente nunquam vidisse, eo crebrius vero in Aegypto diabeticos sibi oblatos esse.

Frequentia hujus morbi magna ex parte a terris et diversis regionibus pendere videtur.

Ita in Anglia, in parte Italiae superiori, neque minus in Italia cisalpina, multo crebrius diabetes animadvertitur, quam in Gallia, Hispania et Germania. Quamquam vero hic morbus praecipue in Germania rarus existit, tamen in nosocomio Caritatis opportunitas mihi est oblata, intra biennium et semestre ter diabeten observandi, semel apud virum, bis apud foeminas, quod omnino mirum est, cum, ut infra videbi-

---

(1) Vide al. l. pag. 331—332.
(2) Allgem. u. spec. Pathol. u. Ther. Bd. III. S. 205.

mus, apud foeminas ab omnibus fere medicis rarissime hic morbus observatus sit.

§. 5.
DE SPECIEBUS DIABETAE.

Quum multi medici, et veterioris et recentioris aevi, varias diabetae species distinguant; omnes divisiones ad diabeten mellitum et insipidum restringendas esse, infra demonstrabo. Veterum enim species hae fuerunt:

1) diabetes mellitus, ubi, ut supra diximus, urina permagnam saccharinae materiae copiam continet, ut Thom. Willis, Burserius et alii docuerunt.

2) diabetes insipidus, qui saccharino lotio carens, quod ad cetera symptomata, mellito similis est.

Utramque speciem etiam medici nostri aevi celeberrimi discernunt.

Aliae species a veteribus propositae sunt:

3) Diabetes periodicus, praecipue a Thom. Willis (1) et Reil (2).

Haec species rejicienda est, nam in diabete mellito et insipido saepe aegroti periodice mingunt, proinde symptoma est utriusque morbi eique subordinatum, non coordinatum.

4) Alii diabeten simplicem et compositum distinxerunt.

Maxime vero diabetes cum malis aliorum organorum, inprimis cum hepatis, lienis viscerum-

---

(1) Vid. al. loc. pag. 102—3.
(2) Ueber die Erk. u. Cur der Fieb. Bd. III. p. 486.

que obstructionibus, cum statu atrabilari, haemorrhoidali, cum oedemate pedum, hydrope anasarca, febri hectica observatus est, quae mala partim causam praedisponentem partim exitum morbi sistunt.

5) Hinc plures medici, ut Creuzwieser (1), Sprengel (2) et Dreyssig (3), diabetae characterem asthenicum adscribentes, de duabus speciebus diabetae sunt locuti, de diabete spastico, typho, s. cum erethismo, ubi jam prodromi spasticae indolis sunt, ut retentio urinae, dolores regionum lumbarium, febricula cum erethismo, omnesque affectus hypochondriaci vel hysterici etc.; et de altera specie, diabete torpideo sive paralytico, quem laxitate vasorum renalium, paralysi quasi, oriri dicunt.

Primum autem fines utriusque speciei in rerum natura tam stricte segregati non reperiuntur, deinde in capite, quod de symptomatibus agit, haec omnia in diabete mellito et insipido eadem esse videbimus. Nonnulli medici distinguunt

6) diabeten idiopathicum, symptomaticum, spurium, hystericum, rheumaticum.

Neque minus P. Frank de diabete acuto et decipiente locutus est, in quorum secundo aegrotus non largiorem quidem urinam, sed saccharo imbutam, mingere dicitur.

Omnes istae species, ut jam supra dixi, modo causae proximae, modo praedisponentes, modo

---

(1) Dissert. de cognosc. et curando diabete §. 7.
(2) Handb. d. Pathol. 2te Aufl. pars III. pag. 166.
(3) Handb. d. med. Diagn. Bd. II. pag. 263—66.

symptomata peculiaria Diabetae melliti et insipidi sunt, quam ob rem in duas jam nominatas species redigi queunt, quae inter se ita discrepant, ut in mellito principium saccharinum praevaleat, in insipido vero nihil hujus subsantiae inveniatur. Propterea etiam primus diabetes verus, secundus spurius a quibusdam nominatur. Cum consilium ceperim, diabeten mellitum, s. verum, adumbrandi, ad descriptionem symptomatum me accingo.

§. 6.

SYMPTOMATA.

Diabetes mellitus, seu verus, Diarrhoea urinosa, Dipsacus, Hydrops ad matulam, Phthisuria, pluribus symptomatibus indicatur, quae tamen non semper eadem sunt, partim quia in singularibus tantum casibus reperiuntur, partim quia casu magis, quam propria morbi indole excitantur, itaque ad cognoscendum diabeten non pathognomonica esse videntur.

Conabor igitur, symptomata hujus morbi secundum stadia describere.

In primo stadio, i. e. stadio prodromorum, symptomata plerumque eadem sunt, quae digestione laesa observantur, eamque ab causam ab aegrotis saepe negliguntur, donec morbus ipse apparet, ita ut P. Frank (1) contendat, diabeten mellitum repente, i. e. sine prodromis irrumpere posse, quod ab observationibus aliorum celeberrimorum medicorum abhorret. Prodromi

---

(1) Vid. al. loc. pag. 43. §. 480.

enim sunt: acidum liberum in organis digestioni dicatis emergens, ructus igitur acidi, pyrosis, vomituritiones vel acidae, vel pituitosae, dyspnoea, tussis spastica, appetitus aut normae congruens, aut auctus, alvi excretio normalis. Interdum, ut Reil (1) affirmat, exanthemata scrophulosa, vel tumores glandularum lymphaticarum, nostrum morbum antecedunt. Cum his phaenomenis accedit raucedo et siccitas quaedam oris fauciumque cum polydipsia et magna fame conjuncta. Reliqua symptomata, ab omnibus fere medicis observata, haec sunt: prostratum Veneris desiderium. Reil enarrat, virum, qui antea quinquies singulis noctibus cum uxore coiisset, hanc facultatem plane amisisse. Tum affectus animi hypochondriaci vel hysterici, quibus per totum morbi decursum aegroti non liberantur.

Prodromis per nonnullas hebdomades aut plures menses protractis signa pathognomonica morbi se manifestant:

Permagna atque perversa secretio urinae substantiam saccharinam continentis, macies totius corporis cum inexplebili siti, fameque adaucta. Quae symptomata singula persequamur.

1) Quantitas lotii secreti major est, quam potus assumti; attamen hac de re auctores valde dissentiunt. P. Frank narrat, se apud virum in clinicum receptum, quotidie urinae libras quadraginta, imo semel quinquaginta duas invenisse. Morgagni (2) quoque observavit aegro-

---

(1) Vid. al. l. pag. 460.
(2) De sedibus et caus. morbi epist. X. lib. I – VI.

tam, quae quotidie quadraginta duas, et per nonaginta tres dies, tamdiu enim morbo laborabat, tria millia sexcentas et septuaginta quatuor libras lotii mingebat. Multi tamen auctores minorem urinae copiam deprehenderunt. Mihi quoque hoc ipso tempore occasio est, in nosocomio Caritatis foeminam diabete mellito laborantem observandi, quae per viginti quatuor horas circa octo ad decem mensuras mingit, quamquam sitis permagna est. Rollo (1) etiam plures apponit casus, in quibus urinae quantitas potuum copiam non excedebat.

Attamen de uberiori lotii quantitate observationes frequentiores sunt traditae, praecipue a Knebel (2) et Dreyssig (3), siquidem aegroti per horas viginti quatuor, viginti, triginta, quadraginta, imo centum libras urinae minxerunt.

Quod ad tempus diei attinet, omnes medici, secretionem urinae atque substantiam saccharinam noctu largiorem esse, quam interdiu, consentiunt; neque minus omnes concedunt, aegrotos sine doloribus mingere impetumque mingendi tam vehementer citoque intrare, ut vix matulam arripere possint.

2) Majoris vero momenti est indoles urinae, nimirum substantia saccharina; meritoque nonnulli medici affirmant, diabeten mellitum eo graviorem esse, quanto uberior illa materia in lotio inveniatur.

---

(1) in al. loc. pag. 162.

(2) Materialien z. theor. u. prakt. Heilkunde. Bd. I. pag. 194—205.

(3) Vid. al. loc. pag. 254—55.

Sed quod ad qualitatem auctore Schoenlein duo stadia distinguenda sunt.

„In primo, ait, stadio morbi non saccharinam, sed albuminosam materiam reddi, qua de causa diabetes mellitus in hoc stadio, insipido similis sit; in secundo demum stadio, albuminoso principio evanescente, saccharinum praevalere.“

Quod ad colorem, urina modo pallida modo viridi-flavescens, modo limpida, modo turbida, sero lactis similis est. Sapor atque odor modo dulcis, odori urinae proprio contrarius, modo odore caret urina. De analysi jam supra (§. 3.) retuli.

3) Aliud symptoma, quo diabetes mellitus nunquam caret, quoniam alimenta per urinam auferuntur, cernitur in macie vel tabe totius corporis cum magna virium consumtione; nominatim extremitates inferiores primum debilitantur, quare ad cubile aegrotus confugere solet.

Haec sunt symptomata objectiva, quae nunquam desiderantur.

Sed alia etiam et objectiva et subjectiva in hoc morbo occurrunt, quae tam abesse, quam adesse possunt. Quae sunt: lingua alba, circa margines sicca splendensque, gingivae rubrae tumidaeque, dentes hebetes et labefacti, cutis arida, rugosa,. pergamena, calidaque, interdum squamosa atque exanthemate herpetico quasi obtecta, sine febri ulla; viris saepe phimosis supervenit. Subjectiva: siccitas atque calor oris et faucium, calor ventriculi et intestinorum ardens, fames ad bulimum increscens, cum inexpugnabili siti, ita quidem, ut aegroto somnum adimat.

Interdum aegroti queruntur dolores spasticos regionis lumbaris, sensum frigoris a renibus usque ad vesicam urinariam descendentis, Veneris desiderium penitus est extinctum. Quae omnia symptomata tanto graviora fiunt, quanto propius morbus ad exitum lethiferum accedit. Nam affectus animi tristes hypochondriaci increscunt, sensuum internorum et externorum functiones perturbantur et hebescunt, vox mutatur, rauca evadit et tenuis, id quod partim a siccitate faucium, partim morbo genitalium pendere potest, quum, inter systema sexuale et vocis organa consensum quendam intercedere, satis constet. Neque minus deliquia animi variis cum spasmis oriuntur. Quemadmodum primo stadio febris deficit, ita in hoc aegroti febri lenta, maxima debilitate, hydrope anasarca, vel diarrhoea colliquativa laborant, donec mors vitae finem facit.

§. 7.

DECURSUS ATQUE EXITUS MORBI.

Consentientibus fere omnibus medicis decursus est diuturnus, saepeque per aliquot annos producitur; interdum typum intermittentem exhibet; quo in casu per aestivum tempus aegroti parcius mingunt, et in lotio substantia saccharina plerumque non deprehenditur. Sed autumno, vel constitutione aëris humida atque frigida utplurimum aucta cum vehementia redit morbus. Quamquam alii acutum decursum diabetae se observasse contendunt, tamen hos casus rarissimos existimare debemus. Quod ad exitum morbi pertinet, semper in mortem exire omnes

consentiunt. Sunt tamen, qui affirment, se diabeten sanasse; haud dubie ille non diabetes mellitus fuit, sed insipidus, vel hysterica affectio, qua laborantes multum mingere solent; si mellitus fuisset, certe paulo post in alios morbos transiisset, praecipue in hydropem, vel phthisin tuberculosam. Quas observationes Cel. Wolff in nosocomio Caritatis confirmatas vidit, quippe morbus semper brevi tempore in mortem exiit.

§. 8.

AETIOLOGIA.

Sententiae de causa proxima hujus morbi tot ac tam diversae sunt, ut omnes hoc loco enumerare supervacuum videatur. Attamen nonnullarum mentionem faciam.

Galenus (1) et nuperiori aevo Vogel (2) causam proximam in statu renum morboso posuerunt. Sed haec organa modo urinam diabeticam secernunt, quae substantiam saccharinam jam continet.

Thom. Willis (3) sententiam professus est, hunc morbum dissolutione sanguinis oriri, minime vero explicat, quomodo substantia saccharina oriatur.

Creuzwieser (4), qui diabeten spasticum et torpidum discernit, alterum ab irritatione renum peraucta, alterum ab eorum relaxatione pendere contendit.

---

(1) De loc. affect. L. VI. C. III.
(2) Prael. acad. de cogn. et curand. c. h. affec. §. 367.
(3) Vid. al. loc. pag. 102.
(4) Dissertat. de cognosc. et curando diabete.

P. Frank (1) novam theoriam de causa proxima protulit, dicens, sicut in rabie canina venenum quoddam hydrophobiam proferat, ita in diabete venenum animale, causis concurrentibus aptis, oriri, quod per nervos in systema lymphaticum agat, tumque resorptum ad cavum ventriculi vehatur, qui, hoc modo corruptus, officiis suis providere non possit. Inde sitim inexplebilem, famem et alia symptomata diabetae derivat. Sed hujus theoriae auctor neque explicat, quo modo urinae quantitas tantopere augeatur, nec quanam ratione substantia saccharina oriatur.

Rollo (2) de causa proxima haec protulit: cernitur in actionibus anomalis, quibus succus gastricus augetur, quo facto materia saccharina e substantiis vegetabilibus extracta, per renes secernitur. Copiam urinae affectione renum consensuali adaugeri censet.

Quamquam haec sententia majoris quod ad pathogeniam est momenti, tamen plura phaenomena, ut acidum organorum digestioni praefectorum, permagna urinae copia, et processus, quo saccharum paretur, per eam minime dilucidantur.

Theoria vero de causa proxima, quam Haase (3) apposuit, a veritate haud procul abesse videtur, quippe quae cum omnibus symptomatibus in omnibus morbi stadiis exacte consentiat.

Est enim causa proxima et chemica et dynamica.

---

(1) Vid. al. loc. pag. 54—95.
(2) Abhandl. d. diab. mell. pag. 387.
(3) Vid. al. loc. §. 252. etc.

Primum de chemica mihi nonnulla dicere liceat. In omnibus fere aegrotis diabete laborantibus retentiones secreti hepatis lienisque observatae sunt. Quae secreta, si normae respondent, succo gastrico atque enterico partem oxygenii secundum leges physiologicas adimunt, cum vero secreta dictorum organorum in diabete a norma recedant per obstructionem, succus etiam gastricus et entericus hyperoxygenatus redditur. Itaque jam a stadio prodromorum et per decursum morbi pyrosis, ructus atque vomitio acidi cujusdam humoris apparent. Qua re duplex actio succi nominati efficitur. Prima est vis oxygenii, quae cum aliis humoribus totius corporis per resorptionem communicatur, quam ob causam sputa mucosa, linguam et gingivam rubram tumidamque, postea colliquationem, acidam et vinosam fermentationem urinae et elapsis aliquot diebus putredinem ejus, in diabeticis observamus.

Alter hyperoxygeneseos effectus sistit incitationem atque actionem perauctam non modo vasorum resorbentium, sed etiam systematis nervorum, praecipue nervi sympathici; quibus actionibus sitis famesque, cum secretione urinae copiosa inducuntur.

Ingeniose vero Haase demonstrat, quomodo saccharina materia nascatur, contendens, eam non in renibus, sed jam in viis primariis atque secundariis formari indeque in sanguinem atque humores corporis deductam per renes tantum excerni, quae organa his functionibus dicata sunt.

Non ignorant medici observationes Kirchhofii, experimentis Schraderi, Doeberei-

neri aliorumque confirmatas, quibus ex Amylo, acido sulphurico diluto affuso, saccharum formari constat. Sic etiam saccharum in diabete mellito existere posse, per analogiam concludo. Nam experientia docet, omnesque fere medici hac de re consentiunt, morbum diabeticum apud eos homines maxime inveniri, qui multum atque diu e regno vegetabili desumant nutrimenta, ut: solanum tuberosum, leguminosa, farinosa, quae omnia magnam copiam amyli continent. Quod illic acidum sulphuricum dilutum, hic succus gastricus entericusque hyperoxygenatus efficit et sic fieri non potest, quin in viis primariis atque secundariis substantia saccharina jam formetur.

Ad causas praedisponentes atque occasionales nunc gradum faciam. Ad illas pertinent:

1) Sexus potior consentientibus fere omnibus medicis maxime ad hunc morbum pronus. Quae dispositio maxime in obstructionibus hepatis lienisque, ut paucis dicam, in plethora abdominali collocanda est. Omnes aegroti, quos P. Frank hoc morbo laborantes curavit, viri erant, id quod etiam Schoenlein observavit. Mihi tamen intra duos annos et semestre contigit, ut in nosocomio Caritatis unum virum duasque foeminas diabete aegrotantes viderem, e quibus ratiocinor, morbum in foeminis aliquanto crebrius inveniri, quam auctores tradant.

2) Aetas. Medici qui saepius morbum observarunt, rarissime aetate infantili, frequentius aetate media, nec non senili eum se deprehendisse affirmant, quamquam nonnulli de diabete ex dentitione difficili loquuntur.

3) Torpor sexualium organorum, quem renum quoque torpor sequitur per intimum commercium cum organis genitalibus; torpor ille ab excessu in venere, a manstuprationibus et aliis libidinibus deducendus est.

Quod vero causas occasionales attinet, sunt irritamenta, quae vel directe vel indirecte, vel per brevius, vel longius tempus in renes vim exercent.

Ad irritamenta directa referre oportet, abusum potuum, praecipue spirituosorum, acidorum vel acido abundantium; propterea multi medici in cerevisiam plurimum culpae deferunt. Sed in nulla urbe, ut mihi videtur, cerevisia alba (Weissbier), quae vocatur, tam frequenter hauritur, quam Berolini; qui potus si causis frequentissimis adnumeratur, quid est, quod diabetes mellitus ibidem rarus exista?

Abusus vini rheni aliusque vini ejusdem indolis ad occasionales causas directas referri potest, quod magnam acidi copiam, parvam autem principii extractivi continet. Praeterea diureticorum acrium abusus, morbi renum ipsorum, febres intermittentes, quas singulatim exponere supervacuum est, quoniam a medicis abunde descriptae sunt, morbum evocare possunt.

Irritamenta vero indirecta sunt: injuriae frigoris, suppressiones subitae transpirationis cutis, aëri humido expositae, e. a. Sed plura momenta irritantia directa et indirecta concurrere debent, ut morbus excitetur, quae cum rarius concurrant, diabeten mellitum morbum esse rarum, facile patet.

§. 9.
SECTIONES CADAVERUM.

Sectiones ad cognoscendam causam proximam institutae saepe in dynamicis morbis frustraneae sunt, quia hucusque nostris oculis texturam alienam nervorum, praesertim sympathici, detegere non possumus. Hinc etiam in cadaveribus hominum diabete mellito mortuorum plerumque nihil inventum est, ex quo causam proximam dijudicare possimus.

Nam obstructiones hepatis lienisque et eorundem degenerationes, in cadaveribus repertae, non proximam causam, sed praedisponentem constituere videntur, quod supra, de causa proxima sermonem faciens, innui. Nec alienationes quidem renum mutationesque eorum variae, quas Home (1), Fr. Hoffmann (2), Ruysch (3), observarunt, pariter ac dilatationes vasorum uriniferorum, pelvisque renalis, ad causam proximam, sed ad morbi sequelas pertinent. Sicut enim in aliis organis, actione per longum tempus adaucta, mutationes eveniunt, sic etiam in renibus, quibus tanta copia lotii per longum tempus secernitur. Interdum in cadaveribus si non diarrhoea colliquativa, sed aliae colliquationes aegrotos interfecerant, reperta est magna quantitas contentorum in organis chylopoëticis, in ventriculo, intestinis tenuibus, imo

---

(1) Klinisch. Versuche pag. 353. sq.
(2) Consult. medic. Tom. I.
(3) Observat. add. ad dilucidat. valvular. etc. Centur. Observ. XIII.

etiam in crassis, quae contenta liquida, coloris viridis, mirifice acidum redolebant. Quam anomaliam multi, ut de Stosch (1), Fr. Hoffmann (2), Michaelis (3), Rutherford (4), invenerunt; neque minus volumen intestinorum ventriculique auctum. Defensor praecipuus hujus mutationis est de Stosch, dicens, plexum meseraicum et per consensum etiam coeliacum in diabete debilitatum esse et, resorptione minuta, portionem aliquam potus, ob sitim diabeticos cruciantem assumti, in ventriculo accumulari, eundem expandere, et sensim sensimque in intestina tenuia transire. Eademque de causa auctor ille hepatis secretum, i. e. bilem, mutatum atque alienatum reperiri contendit, quod per indolem acidam coloris contentorum viridis causam haud dubie constituat.

Sanguinis quoque mutationem memoratu dignam esse censeo.

Dobson (5), P. Frank (6), praecipue Marshal (7), sanguinem colori socolatae similem, odore acido praeditum et in vena subclavia sinistra succum lacteum a sanguine segregatum invenerunt.

Ex hisce visis repertis de causa directa,

---

(1) Versuch einer Pathol. und Therap. des Diab. mell. Cap. VI. pag. 116. sq.

(2) Medic. ratio. syst. Suppl. de morb. infant.

(3) Hufeland's Journal der practischen Heilkunde Bd. XIV. St. III.

(4) Sammlungen auserles. Abhandl. Tom. XXII.

(5) Apud Knebel, vid. al. loc. pag. 190.

(6) Vid. al. loc. pag. 49.

(7) Vid. ap. Roll. pag. 328.

nimirum de perturbationibus chemicis dynamicisque jure cuncludimus.

§. 10.
DIAGNOSIS.

Etsi causae proximae cognitio et, quod postea videbimus, curatio etiam magnis difficultatibus premitur, alia tamen diagnosis est ratio. Nam symptomata tam clara atque manifesta in diabete sunt, ut vix cum alio confundi queat. Nonnulli tamen sunt morbi, quorum symptomata illis diabetae ex parte similia apparent. Huc pertinet enuresis, huc secretio urinae critica in morbis acutis, aut hydropicis. At in priori morbo aegroti non tantam urinae copiam, sed saepius mingunt, non tabescunt, siti fameque permagna destituuntur. In altero febres, inflammationes aliive morbi antea adfuerunt et secretione lotii aucta sublevantur aegroti, contra in diabete status morbosus in pejus vertitur.

Interdum etiam hypochondriaci vel hystericae per periodos multum mingunt. Sed haec secretio periodica breve tempus tenet, praeterea in lotio principium saccharinum non invenitur.

Morbus vero, quocum maxime diabetes mellitus confundi potest, diabetes insipidus est, quod omnia alia symptomata utrique communia sunt et in eo tantum discrimen cernitur, quod in diabete insipido substantia saccharina desideratur et materia albuminosa praevalet, quae in primo tantum stadio melliti, ut supra (§. 6. No. 2.) dixi, reperitur, quam ob rem multi medici utrumque morbum pro eodem habuerunt.

§. 11.
PROGNOSIS.

Diabetes mellitus nunquam non prognosin malam offert. Nam ne unius quidem casus plerique medicorum mentionem faciunt, in quo morbum sanaverint; sin alii contrarium contendunt, haud dubie non mellitus, sed insipidus fuit. Attamen prognosis metienda est:

1) ex stadio morbi. In primo enim stadio, id est, albuminoso, interdum spes aegrotum servandi affulget, in secundo vero, saccharino, nulla apparet. Nam, quamquam diabetes interdum evanescit, mox tamen aut recidivus fit, aut, quod saepius accidit, aegroti paulo post phthisi tuberculosa mortem inducente, corripiuntur.

2) Ex quantitate lotii ejusque portione saccharina, omnibus enim notum est, quo plus aeger mingat et quo plus sacchari in lotio inveniatur, eo pejorem esse prognosin.

3) Ex aetate. Juvenili aetate minus infausta est, quam senili, quod hac aetate omnes vires sunt prostratae itaque macies gravior celerius accedit.

4) Denique a momentis praedisponentibus magis minusve prognosis pendet. Quodsi enim ex decrepiditate organorum uropoëticorum atque genitalium, ex onania, vel excessu in Venere morbus originem duxit, mors inevitabilis imminet.

§. 12.
CURATIO.

Sicut in ommibus morbis, de quorum causa proxima medici dissentiunt, medicamenta ex om-

nibus classibus materiae medicae desumta in usum vocari solent, ita in diabete mellito nullum fere medicamen inexpertum reliquerunt medici. Quam ob rem tam multa sibi contraria medicamenta tanquam specifica ab uno alterove medico commendata sunt, quibus omnibus ne unum quidem aegrotum in integrum restitutum esse scimus.

Si causam proximam, quam supra defendere conatus sum, et effectum hujus causae cum complicationibus suis respicimus, his fere indicationibus ad morbum pellendum satisfaciendum erit. Prima in eo est, ut causam proximam tollamus; secunda, ut per antagonismum secretionem urinae profusam coerceamus; tertia, ut vires aegroti sustineamus atque instauremus.

Quod ad primam indicationem attinet, a plurimis medicis medicamina metallica et narcotica laudantur.

Inter narcotica primum locum Opium tenet, praecipue Tinct. thebaica, cujus interdum drachmae duae per horas viginti quatuor gradatim propinari possunt.

Neque sopor, neque obstructiones alvi timendae sunt, quia experientia docuit, hoc medicamen in diabete alvi excretiones augere. Praeterea unctiones regionis lumbaris ex oleo hyoscyami cum unguento narcotico commendandae sunt.

Ab aliis medicis, ut **Rollo**, **de Hoven** (1), digitalis purpurea, belladonna, radix Valerianae laudatae sunt; quae omnia medicamina systema nervorum, praecipue nervum sympathicum, deprimere dicuntur.

---

(1) Handbuch der prakt. Heilk. pars II. pag. 360.

Ex remediis metallicis auctoribus Rollo, Haase aliisque ea salutaria sunt, quae non solum processum hyperoxygeneseos principio hydrogenato-sulphurato coërcent, sed etiam narcoticorum instar irritationem renum promte mitigant.

Primum igitur et omnium Ammonium hydrogenato-sulphuratum, s. liquorem fumantem Boylii (hepar sulph. volatile) nomino, cujus initio duae vel tres guttae terve per diem, postea gradatim doses majores a medicis exhibentur.

Kali sulphuratum, cujus drachmam unam ad duas, in aqua destillata solutas per diem sumi jussit Rollo.

His remediis succedunt tinctura antimonii tartarisata (Tinct. kalina) et magnesia carbonica, utraque saepe cum opio conjuncta a multis medicis propinata est.

Secundae indicationi, ut secretio urinae diminuatur, methodo antagonistica optime satisfaciemus.

Primum functionem cutis laesam restituere vel augere studeamus, partim medicaminibus diaphoreticis internis, ut pulvere Doweri, Ipecacuanha, emeticis ipsis, Camphora, Valeriana, herb. menth. piperit. e. a.; partim medicaminibus externis, ut balneis calidis cum herbis emollientibus, sudationibus russicis, balneis cum Kali sulphurato paratis. — Aliud sudoriferum est sinapisma.

P. Frank hydrargyrum muriaticum mite commendavit, quod ptyalismo excitato secretionem diminuere ipsi videbatur.

Alter modus per antagonismum secretionem

urinae diminuendi, in eo est, ut actionem intestinorum cieamus. Si enim opii usum excretiones alvi pulticulares non sequuntur, ad drastica confugiamus oportet; ut: folia Sennae, rad. Jalappae et a.; nam salia neutra magis magisque diuresin augere solent.

Tertiam indicationem, quae vires aegroti sustinere atque instaurari jubet, per diaetam exsequi licebit. In locum vegetabilium, alimenta animalia ab exordiis morbi sunt substituenda; sitis inexplebilis depellenda est aqua frigida, cum infuso herbae menthae piperitae mixta, cui etiam vitellum ovi crudum admiscere licet; aut vino Gallico, aqua temperato. Quam diaetam in secundo stadio morbi, ubi febris lenta et prostratio virium gravior evadit, medicaminibus roborantibus adjuvare necesse est.

Restat denique, ut methodum Anglorum commemorem, qui venaesectionibus aliisque antiphlogisticis morbum se sanasse contendunt. Auctoribus igitur Anglicis confisus Cel. Wolff hac methodo in nosocomio Caritatis usus est, sed nunquam eventum prosperum obtinuit.

Alii medici ad adstringentia confugerunt, nam Dower, Thomson, R. A. Vogel, Michaelis alumen laudarunt, alii vero, ut Wrisberg, van der Haar, majorem effectum tincturam Cantharidum praestitisse, contendunt.

Specifica novissimis temporibus laudata sunt: cuprum sulphurico-ammoniatum; 10—16 gr. per diem sumenda Berndt commendat; neque minus Kreosotum et Morphium aceticum a medicis Roxander et Lachendorph proposita sunt;

Morphii acetici granum dimidium usque ad unum, vel solutionis granorum duodecim in aqua destill. ℥ß guttae quinque matutino et vespertino tempore. Strychnino nitrico Wolff utitur. Sed haec omnia medicamina non tam saepe in usum vocata sunt, ut de dignitate eorum in hoc morbo certum judicium ferre possis.

VITA.

Ego Pelta Peltasohn, natus sum Posnaniae mense Februario a. MDCCCXI, patre optimo Ludovico, quem defunctum maxime lugeo, matre Henrica de gente Urbach, quam adhuc vivam pio gratoque animo veneror. Religioni Judaicae sum addictus. Primis literarum elementis in scholis publicis duce P. Caro imbutus, Vratislaviam anno MDCCCXXVI profectus sum, ubi primum Gymnasium Friderici Guilelmi, cui Ill. Kannengiefser praefuit, frequentavi, deinde vero Gymnasium St. Magdalenaeum adii, ibique sex per annos ad litteras incubui. A directore summe colendo jam defuncto Kluge maturitatis testimonio ornatus anno MDCCCXXXII ab Ill. Schulz, t. t. Rectore magnifico numero civium Universitatis Viadrinae Vratislaviensis adscriptus, et ab Ill. Purkinje, t. t. Decano facultatis medicae, in medicorum ordinem receptus sum. Ibidem per duos annos et dimidium his praelectionibus interfui: Ill. Otto de osteologia, de anatomia corporis humani, de historia foetus, de medicina forensi, anatomia comparata et pathologica. Idem dux mihi fuit in arte cadavera rite secandi. Ill. Henschel de botanice practica; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Rohowsky de logice et psychologia; Ill. Klose de medicinae encyclopaedia; Ill. Fischer de chemia theoretica, practica, pharmaceutica et organica; Ill. Pohl de physice; Ill. Wendt

de materia medica, de therapia speciali; Ill. Purkinje de physiologia corporis humani, experimentis illustrata, de pathologia generali; Ill. Remer de therapia speciali; ejusdem scholas clinicas frequentavi; Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis chirurgicis. Idem in exercitationibus chirurgico-clinicis et in operationibus in cadavere instituendis me adjuvit.

Aestate anni MDCCCXXXV Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Steffens, t. t. Rectore magnifico Universitatis Fridericae Guilelmae, in numerum civium academicorum receptus, et ab Ill. Busch, t. t. Decano facultatis medicae, medicorum ordini adscriptus sum. Ex quo tempore hisce praelectionibus et clinicis medicis et chirurgicis interfui:

Cel. Froriep de akiurgia; Ill. Busch de arte obstetricia, tam theoretica quam practica. — Scholas clinicas frequentavi Cel. Barez, Ill. Busch, Ill. Hufeland et Ill. Osann, Cel. Truestedt et Cel. Wolff.

Quibus omnibus viris, maxime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Tentamine philosophico et medico, examineque rigoroso absolutis, dissertatione thesibusque publice defensis, summos in medicina et chirurgia honores a medicorum facultate gratiosa peto.

THESES.

1. Plures pectoris morbi sine auscultatione cognosci non possunt.
2. Remedia specifica tussis convulsivae non existunt.
3. Scabies non pustula, sed vesicula est.
4. Inspectiones thoracis in pleuritide magni sunt momenti.
5. Signa graviditatis auscultatione certiora redduntur.
6. Specifica diabetae melliti remedia nego.
